



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

517. An Capitulum sede vac. dare possit licentiam ædificandi ecclesiam, &
quidem ita, ut ædificanti acquiratur juspatronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



CAPUT TERTIUM.

De potestate Capituli sede vacante in materia beneficiaria.

Questio 517. An Capitulum sede vacante dare possit licentiam adificandi ecclesiam, & quidem ita, ut adificanti, aut dotanti illam acquiratur jus patronatus?

R Esp. ad primum primò, supponendo, quæstionem non procedere de ecclesiis regularium, seu conventualium novarum, istiusmodi enim ecclesiarum, seu conventuum (sive sint mendicantium propriè, seu mendicantium de facto, seu per veritatem; sive impropriè talium, seu mendicantium privilegiativè habentium redditus, & mendicitatem non exercentium; sive etiam aliorum monachorum, seu regularium) etiam servatis servandis aliis in eorum erectionibus (de quibus vide Card. de Luca *de regular. d. 29. & 30. Dian. p. 8. tract. 4. resolut. 68.*) fundationi seu constructioni auctoritatem, seu licentiam præstare nequit Capitulum sede vacante. Et quidem de novorum monasteriorum erectione in genere *Dian. loc. cit. in fine* hiscè expressis; dico igitur monasteria nova erigendi licentiam concedere non potest vicarius capitularis sedis vacantis, prout declaravit S. Congreg. Concilii 19. Jan. 1633, teste Sellio *in select. can. 18. n. 12.* de fundatione conventuum mendicantium propriè & impropriè talium *C. de Luca cit. d. 26. n. 17.* ubi: Ordinarii appellatione tam circa consensum ab ipso præstandum, quam circa alia ab eo authorizanda (in hac materia nempe fundationis dictorum conventuum) non venit Capitulum sede vacante ex iis, quæ ceteris relatis habentur apud Donat *tract. 1. de monaster. adificand. q. 18.* Barbol. *in sum. apostol. decis. collectan. 503. n. 15.* & juxta Rotam in Barchinon. conventus 20. Novemb. 1637. coram Panzirola.

2. Resp. Ad primum secundò, Licentiam adificandi vel dotandi ecclesiam sæcularem (quæ de cetero quoque adificari nequit sine licentia superioris. *Castropal. tract. 13. d. 2. p. 2. n. 8.*) concedere posse Capitulum, tenent cum communi AA. citandi pro respons. seq.

3. Resp. ad secundum. Potest quoque Capitulum sede vacante, ejusve Vicarius dare licentiam construendi, vel dotandi talem ecclesiam ex eo fine, ut construendi vel dotanti in ea acquiratur jus patronatus, sive potest illis reservare patronatum, seu reservationem illius authorizare consensu suo. *Castrop. loc. cit. n. 9. Garc. de benef. p. 5. c. 9. n. 79. Azor. instit. mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 1. Barbol. juris eccles. l. 1. c. 32. n. 88. Ventrigl. tom. 2. annor. 15. s. 1. n. 61. Dian. loc. cit. citans insuper Pavin. de potest. capit. sed. vac. p. 5. q. 2. n. 5. Vivian. in pr. juris p. 1. l. 2. c. 1. n. 12. Lambert. de jure p. 1. p. 2. c. 9. & ego fori benef. p. 2. q. 37. n. 3.* Cum enim hic consensus sit actus jurisdictionis

(intellige ordinariæ) poterit hunc ipsum præstare; qui jurisdictionem Episcopalem, vel quasi episcopalem habet. *Castrop. loc. cit. citans Lambert. ubi ante 4. 8. Barbolam. de potest. Episc. p. 3. allegat. 70. n. 23.* sed talem potestatem episcopalem habet capitulum sede vacante. ergò. Sequiturque hoc ipsum ex responsione præcedente; qui enim dare potest licentiam adificandi ecclesiam, potest etiam præstare auctoritatem ut jus patronatus obtineatur; quia adificationem ecclesiæ subsequitur patronatus (intellige regulariter loquendo) *Castrop. cit. n. 9. Garc. loc. cit. n. 71.* Et sic hoc ipso, quòd Episcopus consenserit in fundationem, vel adificationem ecclesiæ, etiam consensisse videtur in jus patronatus inde querendum fundatori, etiam si is illud expressè sibi non reservasset; cum postro illo consensu Episcopi in adificationem aut dotationem jam jus ipsum concedat adificanti jus patronatus, uti resolvisse Rotam refert *Garc. loc. cit.* quòd cum regulariter non soleant Episcopi adificari sine acquisitione juris patronatus, & sic potestas dandi licentiam construendi Ecclesiam trahit secum tanquam aliquid consecutivum, potestatem consentiendi acquisitioni juris patronatus. Porro qualiter hic consensus præstari possit à Capitulo juris patronatus acquirendo ex adificatione, & dotatione, vide apud me. *loc. cit. q. 36. n. 2.*

Questio 518. Num igitur simpliciter loquendo Capitulum sede vacante erigere possit beneficium ecclesiasticum, seu præstare auctoritatem huic erectioni?

R Esp. quòd id possit Capitulum sede vacante, videtur sequi ex jam dictis *quest. præced.* sicut enim fundare ecclesiam assignata ei dote, ex qua alatur Rector illius ob celebrationem in ea divinorum, est fundare beneficium; ita superior ecclesiasticus concessa ad hoc sibi auctoritate admittens eadem veluti præbita materialia hunc in finem, dando ad hoc licentiam, & approbando, seu non admittendo conditionem reservationis patronatus adjunctam, dicitur erigere beneficium seu esse jam causa efficiens ipsius beneficii ecclesiastici & ipsius juris patronatus. Jam verò Capitulum sede vacante, ut dictum, auctoritatem habet dandi dictam licentiam, admittendi que hæc à fundatore oblata hunc in finem sub ea conditione: ergò & erigendi beneficium. Et sic sentire videntur AA. præcitati *Castrop. Garc. & c.* dum volunt eundem præstare posse consensum acquisitioni juris patronatus ex fundatione, & dotatione, qui adificandæ ecclesiæ, vel beneficio fundando auctoritatem & consensum præbere potest, & vice versâ. Idque clarè